




K-XI-11



Bilany

45.

FELIX PAULUS
TURSKI

DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS
CRACOVIENSIS, DUX SEVERIÆ, ORDINUM
AQUILÆ ALBÆ & S. STANISLAI EQVES.

*Universo Clero, tam Sæculari, quàm Regulari Diœcesis Nostræ
Nobis in Christo Dilectis salutem in Domino.*

Etsi spectata temporum calamitate toti in eo esse cuperemus, ut omnes occasiones aucupari liceat, quibus potius minui, non autem addi super onera Dilectionum Vestrarum esset possibile: quia tamen adeò illustris, & honorifica, ut nulla alia, toti Statui Ecclesiastico Diœcesis Nostræ offert se ratio, testificandi animum erga Augustissimam Sacramque C^æ Regiam Apostolicam Majestatem, propensè fidelissimum, & ab ipso statim limine de ejusdem Majestatis Clementia benè merendi per quam splendidum, & opportunum esse judicavimus, Omnium Vestrum animos fieri unum, unumquemque sentire, ut communi desiderio hilarique vultu, & ad exemplum omnium Provinciarum sub ditione Augustissimæ Austriacæ Domus existentium conferant donum gratuitum, quodsi pro sua mediocritate tantæ Majestati non consentaneum: Vestra tamen fidelitate non indignum. Quod ut promptius faciliusque Dilectionibus Vestris factu eveniat: constituimus, quatenus residuum Subsidiû Charitativi, quod ex his duobus annis resultaverat (nam superiorum meo sub regimine annorum residuum per insurrectionem exactum, eique redditum esse, notum est Dilectionibus Vestris) in præsentem usum convertatur; uti quidem protinè extrahi, & ad Thesaurum S^æ C^æ R^æ Majestatis importari mandavimus. Verùm quia ad complementum præfiniti Centum millium florenorum Doni, magna ex parte deficere liquido compertum est, illudque sarciri nulla parte ex alia possit, præterquam suppetiis Dilectionum Vestrarum de novo conferendis: idcirco consilio cum Venerabili Capitulo initò, justum omninò adinvenimus, procedere in eum modum, ut omnes Beneficiati, & quovis titulo Bonorum Ecclesiasticorum Possessores tam videlicet ex Clero Sæculari, quàm Regulari, ac etiam Monasteria Monialium, & Advocatiæ tertiam partem Subsidiû Charitativi, quæ juxta antea factam, & consuetam taxam de ejusmodi Bonis annuatim pendebatur, moneta currenti, vel ad novum cursum reducta solvere teneantur.

Manda

46.
Mandamus igitur Omnibus, & Singulis Ecclesiasticis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus ac etiam Monasteriis Monialium Diœcesis Nostræ Cracoviensis, & quovis Nomine nuncupatis Bonorum & Fundorum Ecclesiasticorum sub Ditione Augustissimæ S^a C^a R^a Majestatis existentium in hac Diœcesi Possessoribus, quatenus tertiam hujusmodi Subsidiî Charitativi partem intra duos Menses à data præsentis computandos, ad Illustres Decanos Foraneos, Illustres autem Decani ad Cancellariam Nostram Post-Curiale[m] comportare satagant. In casu verò non solutionis ad supra præfixum terminum, Detentores ejusmodi sciant, rigida adversum se media adhibenda fore. De reliquo hoc vel maximè præcustodimus, ne ad contribuendum in hanc tertiam partem, Communitates Villarum seu Subditi Bonorum Ecclesiasticorum, qui alias ad solvendum Subsidiû concurrunt, quidpiam ad hanc tertiam partem contribuere adigantur, quia sola Dominia, sive Curia Dominiorum hanc de proprio subministrare obligata esse volumus & statuimus. Præterea quoniam pro munere Nostro incumbit Nobis habere notitiam, quantum quisque annuatim solverat, & ad præsens solvit: proinde obligamus Illustres Decanos, quatenus quilibet sui Decanatus & Bonorum Claustralium quorumcunque intra fines sui Decanatus existentium tabellam, juxta quam dictum Subsidiû Charitativum partitum, & solvi solitum fuerat, tum quomodo ad præsentem casum partitum fuerit ad Nostram Post-Curiale[m] Cancellariam prævio & tempestivè remittat.

Datum Cracoviae die 14ta Mensis Julii Anno Domini 1796to


FELIX EPISCOPUS

Dux Sæveria.



Pro Annexo intimamus Dilectionibus Vestris Suffragium Anima Illustris Magnifici Thaddæi Lipski Castellani Lanciœnsis commendantes piis eorum Orationibus ut ad Altare Dei meminerint, & populo frequenti commendarî fecerint.





.XI.11



82243r **Bibliotheca**
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej



04943

